

jungi possit, secundum quod agat in Dæmones, adhuc est controversum, quamvis, quod liberè fatendum, non possit omnibus difficultatibus exesse satisfieri, posse tamen & Deum multa & captum & intellectum nostrum exceedentia facere; cum D. Paulo concedendum erit.

Ad II. Resp. ignem corporeum dupliciter considerari posse (a) in se & secundum naturales suas conditio-nes, & sic objectum vel pabulum suum tandem consumit, quo absumpto ipsum quoque ignem perire necesse est, subhâc igitur ratione æternus esse nequit. (B) in ordine ad agens supernaturale, quod influxu suo conservat hunc ignem, & sicuti influxus iste est perpetuus & in æternum durat, ita æternus quoque est ignis.

Ad III. Responderi solet, nondum fuisse probatum, in Inferno futurum frigus. Quod n. stridorem dentium concernit, non necesse est, ut dicamus, cum proditurum à frigore, cum provenire possit à nimio damnatorum furore. Sic disceptant Dd. ex utraque parte, cui nos calculum adjiciamus, in confictu aperiemus, patere tamen & ex dato discursu autumo. Tantum de potentia Dæmonum passivâ.

CONCLUSIO.

Hic filum abrumpo, pedemque figo in subtilissima materia, quæ, teste Wiero, usq; adeo tricis subtilissimis impletâ & confusa, ut nec ulla Thesei sagacitate extricari, nec Oedipi prudentia explicari queat. Si ergo unâ atque altera in via pro tenui & imbecilli ingenii vi per hos scopulos errârim, quid est quod mireris, B. L. Acclamo cum August. I. I. de. Trinit. cap. 2. unicuique: *Non me pigebit, si cubi hæsito, querere, nec pudebit si cubi erro, discere:* Et cap. seqq. 3. *Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergaat tecum; ubi pariter hæsitat, querat tecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me, ubi meum revocet me,*

F

CO-